

ad plures casus extensa: item quæ antiquitus soli Imperatori, vel Comiti S. Palatii, ejus scilicet Vicario erant reservata, adeo ut nonnisi iis præsentibus agerentur, postea sensim sine sensu comitibus omnibus, ac deinde Episcopis concessa ea celebrandi, adstistendique potestas. Sic in hac Diœcesi primum Aledramo nobilissimo sui temporis Marchioni in Ottoniano diplomate duelli datum jus fuit: quod postea Episcopo Primo apientissimo Henrico fuit prorogatum. Item quæ olim fuerant solum modo tolerata, exeunte præterito sæculo ab Othone II. jussa, edicta, & imperata fuerunt, ut constat ex legibus anno 983. latis, ac a Muratorio in *Rer. Ital. Script. T. 1. part. 2. recensitis*. Demum duellares leges, quæ antea a laicis solum vix aliquibus Episcopis suffragium ferentibus latæ fuerant, undecimi sæculi initio, in publicis Regni comitiis ab Henrico solemniter initis a pluribus Archiepiscopis, atque Episcopis non solum approbatæ, verum etiam magno plausu exceptæ fuerunt, ut in proemio Henricus ipse gloriatur. Ita malum in dies augebatur, tantoque creverat, ut sanctissimo Regi, quoniam penitus tolli supra ejus erat potestatem, laudi vertendum saltem sit, quod legibus, ne latius fureret obstitit. Fit enim sæpe in politico corpore, quemadmodum in humano, ut pertinaces morbi latentes causas, easque longe antegressas habeant, quæ cum vim suam exeruerint, moderatis consiliis, & felici atque opportuno aliarum causarum concursu indigent, ut per lentas progressiones superari possint, quas si subito impetu velis expellere, nil minus agas, quam veteri malo novum aliud superaddere. Sic barbarorum irruptiones Italicis populis morum ferociam intulerunt, ut jus in armis quærerent. Effert animi ex diuturna cum illis consuetudine, miti cœli temperie, ac posteriorum Regum, ac Imperatorum ex Carolina progenie legibus, atque disciplina ad mansuetudinem sensim deducti, ab armis recedere cœperunt, atque judiciorum ordinem venerari; sed Germanis Imperatoribus Italiam iterum invadentibus, ac feudale sistemate inducto ortis inter potentes litibus leges quiescere, ac duellaria judicia passim iniri visa sunt, adeo ut necesse fuerit publicis legibus pravam licet consuetudinem moderari ac coercere, quod & Episcopi Henrico persuaserunt. Quamobrem immerito quis hoc illis vitio verteret, quasi perversi moris approbatores extiterint. Nam multi in conciliis hoc damnant, & inter cæteros celebratissimus Atho licet Longobardus genere Episcopus Vercellensis in lib. de pres-juris Ecel. editionis Vercell. anni 1768. p. 326. (a) reprehendit, at isti cum malum quod altas radices egerat, haud possent extirpare sanctionibus quibusdam ad tempus censuerunt coercendum, ac aliquando etiam in suæ necessitatis subsidium usi sunt. Probabile autem videtur eos nonnisi rarissimo exemplo, ac in summo rerum suarum discrimine, ac pro justitia adhibitis primum aliis omnibus mediis, & cum minori certantium vitæ periculo hac potestate usos. Quæ cum ita sint quid mirum si Aquensis Episcopus turbulentam illius ævi conditionem secutus pro Ecclesiæ suæ tuitione, hoc quoque extremum extremis malis remedium imploraverit. (a) Addunt insuper, quoniam si aliquis militum sacerdotes Dei in crimine pulsaverit, per pugnam hoc singulari certamine esse discernendum. Sed istud judicium quorundam Laicorum solummodo est; nec in ipsis etiam adprobatur; nam sæpe innocentes victi, nocentes vero

victores in tali judicio esse videntur . . . Hæc tamen omnia, & alia sanctarum scripturarum documenta maligni parvi pendentes, ad pugnam Sacerdotes impingere quærunt, nullam amplius reverentiam ipsis observantes, nisi quod non propriis manibus, sed per submissas personas illis in tali discrimine judicant dimicare, & quibus prohibitum est armatorum cuneis, vel etiam publicis spectaculis interesse ad pugnam producere, heu! nostros compellimur Vicarios, ut vel istorum eade victi, vel illorum quasi absoluti esse videamur, nec purgari a crimine, nisi perpetrato crimine valeamus. &c.,

(2) Vocabulum a Germanico verbo Kampf, quod pugnator Latine.

(3) Hoc anno Italiam secundo petiit Henricus, ac Papiam concessit, ubi brevi commoratus post natalitiam Christi festivitatem statim inde profectus est. Sed quo mense hoc diploma Primo concessum? Quoniam nullæ judicio meo donationes Papiæ hoc tempore cussæ superstites fuerunt, ex hac ipsa conjectura capienda est. Indictio XII. ad annum 1014. spectabat, nec poterat anno 1013. congruere, nisi ponamus mense septembri die 24. juxta modum Constantinianum, vel decembri 8. kal. jan. juxta Romanum indictionem cœpisse, quæ computandi ratio hic erat frequentissima, ut alias animadvertimus. Dicendum ergo circa hæc tempora exeunte anno emissum diploma.

*Donatio Comitis Gulliemi filii Guidonis, & Aichæ uxoris Monasterio Grassani ex chronica D. Joannis Abbatis.*

M X X V I I.

13

In nomine Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi Cunradus Dei gratia Imperator Augustus anno Imperii ejus Deo propitio primo VIII. cal. octobris indictione undecima (1). Actum in castro Focario ec. Nos in Dei nomine Gullielmus Comes filius Guidi quondam etiam comitis, & Aicha auxiliante Deo comitissa jugales, filia quondam D. Henrici Regis donamus, & offerimus monasterio constructo in honorem Dei Salvatoris nostri, & SS. Victoris, & Coronæ in loco Grassani mansos X. terræ, in loco, & fundo Grassani, ac etiam unum molendinum constructum super emporio, &c. pro animabus nostris, & quondam Guidi genitoris mei Gulliemi, qui fuit filius Auscharii Marchionis, &c. Et ego Johannes Notarius Judex S. Palatii scriptor, hoc instrumentum donationis post traditum complevi, & dedi.

(1) Hinc patet a septembri quandoque indictiones inchoatas fuisse.

*Fundatio Monasterii Vasti Thetis Marchionis.*

M X X V I I.

14

In Christi Dei vivi nomine amen. Ego Thetis Marchio filius quondam Anselmi Marchionis considerans sacra verba, quæ clamant quid tribuitur pauperi non esse donum, sed mutuum, quia quod datur multiplicato fructu recipitur. Hinc est, quod ad honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, & Beati Petri Apostoli quandam Ecclesiam a nobis constructam in loco,